

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

nam Valerius duas Camertum legiones a C. Mario ciuitate donatas, Plutarchus mille Camertes ait. Iam Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 88. cum dixisset: *cohortes CX. expleverat*. subiunxit: *haec erant millia XLV.* Idem pugna Pharfalica quartam aciem ex sex cohortibus constituit: quod Plutarchus in Caesare confirmat: at eos fuisse tria millia, et idem Plutarchus in Pompeio, et Appianus quoque plane narrat. Postea, re militari commutata, sexcentos in cohorte video fuisse: nam Cincius apud Gellium lib. 16. c. 4. legionem ex centuriis sexaginta, cohortibus decem constituit.

Ne litteras quidem ullas] Cum te quotidie expectarem; tantum tamen abest, ut ipse veneris, ut ne litteras quidem ullas a te acceperim. Hic non video, cur mutari quidquam necesse sit.

Euocatorum] Milites erant emeriti, subito ex agris in militiam euocati: quos Cicero ex senatus consulto in prouincia contraxerat: ut lib. 15. epist. 4. Crastinum euocatam in prima acie contra Pompeianos procurentem nominat Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 91. Euocatos etiam Antonius habuit in

Mutinensi certamine, lib. 10. epist. 30. et Octavianus, Dio lib. 45.

Cohortes] Quas secum Appius habebat. nam exercitus vniuersus erat in Lycaonia, vnde abesse dixit tres cohortes epist. 15.

Aliquid negotii gerere] Contra sempiternos hostes Amanienfes. lib. 2. epist. 10. et lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Litterae tuae] In quibus, cupere se cum Cicerone congregari, scripserat Appius.

Secus] Male, secus ac vellem. sic *aliter*, usurpabant, ut lib. 2. de republ. apud Nonium, *cum ad villam venisset, et omnia aliter offundisset.*

Loci] Occasionis.

Correxeris] Aliquo in me officio.

Salua lege] Quae ultra dies triginta, post successoris aduentum, non permittebat in prouincia permanere.

Pridie Kal. Sext.] Sic lib. 15. epist. 2. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 16.

In Ciliciam] A Laodicea in Ciliciam. lib. 15. epist. 4.

Per Cappadociam] Nam et alia erat, eaque breuior, in Ciliciam via: quam cur omiserit, exponit lib. 15. epist. 4.

EPISTOLAE VII.

ARGUMENTVM.

Querelam Appii refellit: contraque ipse queritur, et extollit virtutem contra inanem arrogantiam nobilitatis: se tamen ei fore amicissimum confirmat.

EXPLANATIO.

Cicero imp.] Sic est inscribendum, non, *procos.* Scripsit enim, ut ipse ait, hanc epistolam

Laodiceae: quo se contulit aestiuis confectis, id est, Amaniensibus vietis, qua victoria imperator appellatus

latus est, et Pindenisso capto. fuit autem Laodiceae a III. id. Febr. vsque ad non. Maii: quod lib. 6. ad Attic. epist. 2. ostendit.

Legati Appiani] Quos monumentum exstruere ad Appii laudem cupientes Cicero impendierat. epist. 9. Appianos populos in conventu Synadensi Plinius lib. 9. c. 29. nominat. Alii sunt autem legati, de quibus epist. 8. illos enim queritur Appius prohibitos esse ire Romam ad se laudandum, horum autem aedificationem impeditam.

Volumen] Litteras *volumen* appellat, non quod inuolutae clauderentur, (plicabantur enim epistolae, inuoluebantur autem libri) sed quod earum longitudo speciem voluminis efficeret. itaque subiecit, (vt vnas litteras hic *volumen* appellari constet) *eadem epistola petebas*. sic lib. 12. epist. 30. *non te epistolis, sed voluminibus lacefferam*, pro, ita longis, vt voluminum instar essent. Alibi vero *epistolarum volumina* nominat, quia descriptae multae, circa lignum essent inuolutae. lib. 9. ad Attic. epist. 10. *Euolui volumen epistolarum tuarum*. Ad Tironem lib. 16. epist. 17. *Tuas epistolas vis referri in volumina*. Et Tusculanas quaestiones *volumina* appellat: Plinius quoque suos naturalis historiae libros, *volumina*: Ouidius quindecim libros Metamorphoseos, *ter quinque volumina*. *Vmbilicos* ligna illa, quae voluminibus absolutis adderentur, ideo dicta, quod vmbilici nostri formam imitarentur, Porphyrio scriptum reliquit. inde natum, *ad vmbilicum adducere*, pro absolueret: quod Horatius Epod. 14. v. 8. de suis iam-

bis dixit: *peruenire ad vmbilicum*, Martialis lib. 4. epigr. 91. v. 2. Huiusmodi autem vmbilicos non modo ligneos, verum etiam osseos, corneosue ornamenta gratia interdum fuisse, idem Porphyrio auctor est: pingi etiam solitos, Martialis. Extremae partes, quod, extra volumen eminentes, cornuum similitudinem prae se ferrent, *cornua* vocabantur: quibus ornamentum aliquod addi solitum, ostendit Ouidius, cum librum suum eleg. 1. Tristium v. 8. sic alloquitur:

Candida nec nigra cornua fronte geras.

Nec geras candida cornua, quae fortunae sunt indicia laetioris, cum sit atrata frons, qualem in calamitate nostra decet esse. Est enim *frons libri*, exterior voluminis pars: *frontes* vero cum appellantur, exterior, et interior: itaque dixit idem v. 11.

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes.

Et Catullus carm. 1.

Cui dono lepidum nouum libellum,

Arida modo pumice expolitum?

Martialis quoque *pumicatam* libri *frontem* dixit lib. 1. epigr. 67. v. 10.

Aedificationem] Templum, opinor, Appio erigere volebant, vt optime de republica merito.

Peracute] Excogitasti enim, quod a me cogitatum non est.

Tributa] Quibus Appio monumentum exstruerent.

Recepissem] In Asiam, nam, cum in provinciam venisset, a Laodicea in Ciliciam profectus est. ibi pugnauit cum Amaniensibus, Pindenif-

denissimumque cepit. mox, aestiuis iam confectis, Laodiceam in Asiam rediit: unde rursus ad absolvendam iurisdictionem Tarsum in Ciliciam iuit.

Aequitatem] Ironia.

Tributa] Quae ciuitates imponebant, ut collecta pecunia aedificaret.

Non poteram] Rem causamque cognoscere.

Ad me] In Ciliciam: ut ibi de toto negotio cognoscerem.

Liberto] Accensi munus libertis deferri solitum, indicat lib. 4. ad Attic. epist. 16. in qua Antiochus Gabinius quidam, A. Gabinii libertus et accensus nominatur. et lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1.

Accenso meo] Apparitorum multa genera, inter quos accensi quoque erant, dicti, quod saepius ad necessarias res accirentur, ut ait Varro.

Audiui, cum diceret] Sic lib. 2. de Orat. c. 6. *Saepe ex socio meo audiui, cum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari.*

Vigilia] Nox in tres vigilias, et in quaternas horas vigiliae diuidantur.

Fabrum] Qui exercitum sequebantur, ut administrarent, quae ad bellum necessaria viderentur. *Fabrum* autem, non *fabrorum*, probasse Cicero videtur. de quo sic in Oratore c. 46. *Iam, ut censoriae tabulae loquuntur, fabrum, et pro-cum, audeo dicere, non fabrorum, et procorum.*

Ap. Claudio] Patriciae gentis, consulari, augurali, opibus, ingenio, propinquis, affinis florentissimo: ut omitam antiquorum no-

bitatem, de qua diximus epist. 1.

Imperatori] Appellato, et a militibus et ab senatu: qui etiam ei ob victoriam supplicationes decreverat. epist. ult.

Ambitiosus] Studiosus: cum nullum officii genus soleam praetermittere.

Quid mi] Ciceronis, non Appii verba: ideo parenthesi includenda. Cur non crederem, inquit, id a te dictum? cum te tuae gentis antiqua nobilitas superbum faciat.

Appius Lentulo] Appius succedens Lentulo decedenti.

Prudentia] Naturalem significat. nam separatim deinde rerum usum nominat.

Vrbanitatem] *Vrbanitas* et *dacitas* non idem sunt. itaque Demosthenem, ait Quintilianus lib. 6. c. 3. *urbanum* fuisse, non *dacem*, *urbanitatem* autem esse illam, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore, gestuue possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi: qualis apud Graecos *ἁρμονικὸς* ille, redolens Athenarum proprium saporem. Cicero autem in orat. pro Coelio c. 3. *Maledictio nihil habet propositi, praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur, conuiuium; si facetius, urbanitas nominatur.*

Virtus] Habet enim similitudinem quandam *urbanitatis*.

Appietatem] Productione nominis fit sonitus auribus ingratus: et simul ipsa res, nomini subiecta, deformatur. Appius autem nouum Ciceronis nomen, prae suo Lentulique contempserat. quam superbiam irridet Cicero, Claudiae familiae *insitam*,

insitam, vt ex omni patet historia, et his maxime Taciti verbis lib. 1. Annal. c. 4. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed veteri atque insita Claudiae familiae superbia.*

Ornamenta virtutis] Ipsam virtutem, a qua nullum abest ornamentum: vel, *ornamenta*, illa, quae a virtute proficiuntur: cum Appii et Lentulitas nomina quidem speciosa sint, virtutis tamen ornamenta non habent.

Hominum opinionibus] Nam re vera non sunt amplissima, si virtute careant. vulgus autem ipsam tantum honorum speciem admiratur.

Vobis reliquissent] Qui ea nomina sua virtute nobilitarunt: quorum vos nomina retinetis, virtutem non imitamini. Ostendit Appium non a se ipso, sed a maioribus nobilem esse.

Maxima imperia] Praeturam, et consulatum: quae vocantur *imperia*. vnde illud lib. 9. ad Attic. epist. 9. *Nos in libris habemus, non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari ius esse, idque factum esse numquam: consules, eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius.* Praestant autem potestate ceteris omnibus magistratibus: ideo *maxima imperia* vocantur. nam censura, licet inter maiores magistratus, imperio tamen carebat.

Ad honorem] Summus enim honor consulatus: de quo sic Liuius lib. 2. c. 1. *Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate, numeres.* Omnia iura, omnia insignia primi consules re-

nuere. *id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.*

Ad gloriam] Patefacta enim et oppressa Catilinae coniuratione, tantum adeptus est gloriae, nihil vt expetere amplius posset.

Superiorem numquam] Quod Appio re ipsa detraxit, verbis restituit. nam, cum dixit, *viros esse, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar*; nimirum iis viris non esse Appium similem ostendit: rursus, cum se non esse Appio superiorem fatetur, nec sibi tamen quidquam ad honorem aut gloriam deesse, ornat Appium amplissima laude, qui sit ei par, qui sibi nihil nec ad honorem neque ad gloriam acquirendum putet.

Vel Cn. Pompeium] Appii sententiam Pompeii sententia ac iudicio debilitat: vt in forensibus causis, vbi testibus res agitur, opponuntur ignobilioribus clari viri, egentibus locupletes.

Omnibus, qui vnquam fuerunt] Solus enim ad eam diem ter Pompeius triumphauerat, ex tribus orbis terrarum partibus victoria comparata.

P. Lentulum] Hunc nominat, cuius beneficio in patriam redierat, ne videatur eum proprie nominasse, cum dixit, *Lentulitat m.* potest enim nomen illud in omnes Lentulos, qui nobilitatem a maioribus acceperant, non in hunc, qui sua virtute clarus erat, cuique Cicero plurimum debebat, cum quadam contumelia conferri.

Quem mihi ipsi antepono] Praclarum artificium. nam, si et me vobis parem speravi esse factum; et Lentulum mihi ipsi antepono: sequi-

sequitur, ut eundem vobis quoque anteponam. quid igitur laborem, si tu me, quasi novum hominem, contemnis, te autem, tamquam nobilem, magni facis; cum dixeris, *Cicero Appio noluit*. nam eos viros, quos et mihi et tibi antepono, aliter existimare video.

Si aliter existimas] Si dissentis a Pompeio et Lentulo; et ideo me contemnis, quia novus homo sum.

Nihil errabis] Non est hoc sine quodam Appii contemptu: ita enim effertur, quasi rudiores peritior doceat, et quasi, nobilitas quid sit, Appius ignorare videatur.

Vt, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas] Vt intelligas, utrum idem sint, an inter se differant εὐγένεια, et nobilitas. Quasi dicat: falleris, cum vel te putas, quia sis εὐγενής, hoc est claro genere natus, ideo nobilem esse, vel me, quia non sum εὐγενής, propterea nobilem esse non posse. potest enim εὐγένεια esse, ubi non sit nobilitas; et nobilitas, ubi non sit εὐγένεια. nobilitas enim a maioribus non accipitur, sed virtute, magnisque in rempublicam meritis comparatur. Haec fuit Athenodori sententia: quam homo novus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in maiorum claritate, et in opibus ponit.

Sandonis filius] Patris nomen adiunxit, ut eum distingueret ab altero Athenodoro, eius aequali. nam, ut ait Strabo lib. 4. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio vocatus est, cum M. Catone vixit, et apud eum obiit; alter vero, Sandonis filius, quem et Cananitam a quodam vico appellant,

Caesaris Augusti praeceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: et ideum Sandonem philosophum nominat, huius, opinor, Athenodori patrem.

Quid de his rebus] Quid de praestantia, quid de nobilitate scripserit.

Amicissimum] Epistolae clausula non caret arte. lenit enim amoris commemoratio animum Appii, iratum fortasse ob superiora. ita Cicero non solum caussa, sed etiam humanitate vincit.

Laborarim] Cum aliis in rebus, de quibus epist. 9. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua epist. ult.

Ista curio] Hoc te mouere non debuit. alios habeo cupidos honoris mei, maxime vero Cn. Pompeium: quem significat, cum ait, *Μάλιστα Ζεύς*. recitat autem Agamemnonis verba apud Homerum, contra Achillem lib. 1. Iliad. v. 174. *Apud me alii quoque, qui me honorant, maxime vero consiliarius Iupiter*: ut, quemadmodum Agamemnon suum Iovem appellavit Nestorem, sic de Pompeio Cicero intelligat, a quo se amari vehementer putabat. aut nihil proprie de Pompeio, sed uniuersae de amicis omnibus dixit, licet extrema Homeri verba ad vnum spectent. Fortasse etiam non scripsit Cicero illud, *Μάλιστα δὲ καλεῖται Ζεύς*, sed aliquis addidit, ut versum absolueret, ignarus Ciceroniani moris. Quid enim notos poetarum versus a primo ad ultimum nominaret? exemplo illud est (ut omittam alia) lib. 6. epist. 18. *Τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρωταί*.

Natura]